

^a
IV. 29~~2~~ Q.

(cat. 2, 14-21.)

n. 72, 22.

11. 18. 78

FVNESTAM EVERSIONEM
V I T E M B E R G A E
D E F L E T

ET
SENATVM AMPLISSIMVM
PATRONOSQVE GYMNASII BENEVOLOS
AD ORATIONEM

ZACHERIANAE MEMORIAE
S A C R A M

D. XXIV APRIL. HOR. IX. MATVT.

PERBENIGNE AVDIENDAM

HVMANISSIME OBSERVANTISSIMEQVE

INVITAT

M. FRIDERICVS CHRISTIANVS BAVMEISTERVS

AVGVSTI GYMNASII GORL. RECTOR.

GORLICI, clo Io cc LXI, D. XXIII APRIL.

EX OFFICINA FICKELSCHERERIANA.

19. 2. 18





Victorinus Zacherius, nostras, spectatae quondam uirtutis ciuis, animoque, si quisquam, in Musas propenso, facultatum, quas habuit satis amplas, fructum uberrimum, laudabili exemplo, in scholam nostram post mortem uoluit redundare. Iuuenem enim pauperiorum rationibus, stipendio litterario, eoque non illiberali, constituto, prospexit, et, ut ne quid iis deesset, quod ad necessitates uitae academicae expediundas pertineret, litteris, publica munitis auctoritate, solícite prouidit. Quo beneficio cum, ex **AMPLISSIMI SENATVS** decreto, unus omnium maxime dignus uisus sit iuuenis bonae spei, optimarumque artium perquam studiosus,

CHRISTIANVS TRAVGOTT MATTHAEVS, Gorlicenf.

non committendum putauit, ut partibus, quas grati animi pietas ipsi imponit, deesse uideretur. Quare, crastina luca, hor. IX. benefactoris memoriam renouaturus, orationem latinam, abs se elaboratam, publice habebit, et de paupertatis commodis in litterarum cultura declamabit, simul Patronis, Praeceptoribus, et amicis, carmine teutonico, ultimum uale dicturus.

Quam humanissimi iuuenis pietatem ut praesentia perhonorifica excitent comprobentque Patroni, et declamatiunculam beniuole audiant, quanta possum maxima obseruantia rogo. P. P. Gorlicl, clolo ccLXI, d. XXIII April.





os, Vitebergenses cineres, uos, diruta saxa
Antiqui templi magnificique canam.
Saxa canam? potius lacrimis tua rudera
fas fit

Humectare piis, Leucoris, igne cadens.
Quam mihi prolicuit Tua fors sensusque doloris,
Sit (dare plura uetor,) guttula sacra Tibi.

O mihi iam dudum, uelut altera patria, dulcis,
O nimium dulcis tu Viteberga mihi!
Dulce tuum nomen maneat, certeque manebit,
Dum mihi sensus erit, dum mihi uita manet.
Dulce recordari maneat tua munera tanta,
Quis libuit Musis me decorare tuis.
Dulce manet, maneatque mihi, meminisse tot artes,
Quas fonte exhausti limpidiore tuo.

Tu uelut indulgens fouisti mater alumnum
 Me, sed me solum? quin simul addo? meos.
 Tu mihi praesidium fortunae et fulcra parasti,
 Quae potuere meam constabilire domum.
 Praemia doctrinae sperabam? Sola dedisti
 Tu, quam sperabam, praemia plura mihi.
 Alma tibi mater, tibi debeo, quicquid honoris,
 Quicquid et in uita prosperitatis erit.

Dudum debebam, dudum mens grata poposcit,
 Grates, quas decuit, soluere mente pia.
 Dudum cunctanti Pietas mihi uellicat aurem,
 Tot benefactorum non memor, inquit, eris?
 Non celebrabis eam, non tolles laudibus urbem,
 A qua, quicquid habes prosperitatis, habes?
 Nonne recordaris decorum tot, totque bonorum,
 Tot Patronorum, quos Viteberga dedit?
 Nonne subit mentem WERNSDORFI suauis imago?
 Non te delectat BERGERIANA schola?
 Num procul ex animo fugit uenerabile nomen,
 Quem colo, WEIDLERI, posteritasque colet?
 Non, quos HOLLMANNVS thesauros saepe reclusit,
 Semper inoblita mente tenere decet?

Non

Non studioforum coetum, iuuenumque coronam,
 Qua cinctus fueras, commemorasse decet?
 Nonne tibi HAFRVNGVS, fulcrum columenque salutis
 Fortunaque tuae, dignus amore manet?
 Quin capis, o nimium nimiumque oblite bonorum,
 Quae Viteberga dedit, quin cito pleetra capis?
 Ergo age, quicquid habes neruorum, quicquid et artis,
 Adfer id ad laudes Leucoridosque decus.

Non frustra monuit Pietas. Tacuisse pudebat,
 Poenituitque mei, poenituitque morae.
 Mox pleetrum sumsi, meditatus carmina festa,
 Laudibus et decori, Leucoris, apta tuo.

Ast! ast interea uenit ultima summaque, fato
 Fixa dies, Musis exitiosa dies.
 Nox uenit horribilis, qua funditus eruit urbem
 Et cremat infontes hostica flamma domos.
 Corruit, horresco referens, ah! corruit igne
 Arx, templum, et quot non tecta sepulta iacent?
 Vrbs celebrata cadit, cadit antiquissima sedes
 Pieridum. Fuit hem! gloria, flosque fuit.
 Nomen honosque fuit. Steterat quae saecula tanta,
 Vrbs, quae floruerat saecula tanta, ruit,

Fundite, Pierides, lacrimas, et fletibus adde
 Fletus, Lutheri dogmata quisquis amat.
 Si non sunt filicis tibi circum pectora uenae,
 Posteritas, pauitans et gemebunda tremes.
 Casibus insolitis, fieri quos posse negabis,
 Horrescet pectus, mensque stupore gemet.
 Nec ficcis oculis, (quis enim, qui talia lectu
 Percipit, a lacrimis temperet? ista leges.

Quae Vittenbergae fuerint primordia parua,
 Quodue incrementum, fataque, Musa doce.
 Ad ripas Albis, uestitas gramine laeto,
 Frondibus umbriferis ilicis arua patent.
 Hic, quocunq; oculos uertas, glomeratus arenae
 Agger littoreae tardat ubique pedes.
 Hic iacet, aut iacuit potius, de semine paruo
 Vrbs exorta, diu florida, culta diu.
 Accepit nomen uicini montis ab albi
 Vertice, sic ueterum nos monimenta docent.
 Vandala gens posuit raras sparsasque per arua
 Aediculas luteas, stramineasque casas.
 Mox addunt plures, iunguntur et aedibus aedes,
 Sicque fit oppidulum, quod modo pagus erat
 Hoc Deus oppidulum, praec tot splendentibus omnis
 Urbibus Europae summus ad alta tulit.

Sic

Sic erat in fatis. Quae uulgo spreta putantur,
 Deligit haec Numen finibus apta suis.
 Tu, Viteberga, minor fama, uix nomine nota,
 Mersa uelut tenebris, consimilisque casis,
 Tu, Numen dixit diuinum, nobile nomen,
 Gentibus externis tu quoque lumen eris.
 Scilicet auditum cum nondum temporis esset
 Nomen, cum nondum conditus orbis erat.
 Errores faeculi corruptelasque futuras
 Viderat omniscium Numen ab axe poli.
 Viderat horribili mundum caligine mersum,
 Corruptam fuco praestigiisque fidem.
 Viderat. At iam tum medicamen opemque parabat,
 Vulnere qua mundi tolleret aegra, Deus.
 Hic locus obscurus, quem uix uicinia norat,
 Haec Viteberga Dei finibus apta fuit.
 Hanc Deus elegit prae pluribus urbibus unam, /
 Lumen euangelium spargeret unde suum.
 Artibus ingenuis FRIDERICVS, Saxo, parabat
 Hic stabilem sedem perpetuamque domum.
 Confluit ad Musas mox undique et undique pubes,
 Hinc uenit auditor, qui docet, inde uenit.
 Feruet opus. Musae plaudunt, et ridet Apollo,
 Itque per Europae nuntia fama plagas.

Ex

Ex humili squalore decus sic surgit ad altum
 Leucoris. Vrbs humilis nobilitata nitet.
 Vt depressa iacet, uix obseruabilis, herba,
 Et plantae tenuis stamina parua latent.
 At mox pubescens subito se tollit in auram,
 Fitque arbor sensim, luxuriosa comis,
 Florida, sublimis, peropaca, et fructibus arbor
 Praegnans, quae mira fertilitate placet.
 Sic Viteberga, scholis referatis, robora sumfit,
 Surgere flos urbis uisus ad astra fuit.

Te, te compello, Germania grata, uirorum
 Millia doctorum quot Viteberga dedit?
 Quin, quascunq; tenet regiones amplior orbis,
 His quantam lucem Leucoris una dedit?
 O mihi, si uos, tot Manes, turbare liceret,
 Si uitam uobis redderet, Ossa, Deus.
 Copia quanta meis oculis oblata uirorum
 Doctorum, fouit quos Viteberga, foret!
 Exeat e tumulo LVTHERVS, maximus heros,
 Quantum Leucoridos conspicuumque decus!
 In uitam redeant HVTTERVS et HVNNIUS, ambo
 Fulcra sacri coetus, doctor uterque pius,

Lumen

Lumen uterque tuum, Viteberga, et gloria rara
 Christiani populi Pieridumque chori.
 Quis non miratur? quis non post funera laudat,
 Meisneros, Ionam, Quenstediumque colit?
 Quis Loefcherorum non nomina clara ueretur?
 Quis non Deutschmanni nomen ad astra feret?
 Quis non feruorem laudat, studiumque fidemque,
 Cum tua, CalovI, plurima scripta legit?
 Quem non SchurtzfleischI, non Buchneriana diserta
 Vis et dicendi copia culta mouet?
 O mihi si centum linguas natura dedisset,
 Oraque si centum nunc mihi prompta forent.
 Non possem laudes, non ornamenta uirorum
 Quos Viteberga aluit, connumerare satis.

Quis non, nam reliquos ompes filuisse iuuabit,
 Quis non miratur dona, PHILIPPE, tua?
 Quis non attonitus te defixusque stupore,
 Atque tuas dotes cogitat atque colit?
 Omnes, quas genus humanum coluitque colitque,
 Artes fonte tuo profiluisse, patet.
 Inque tuis scriptis limatis Roma reuixit,
 Et quis, quas tenuit Graecia, promisit opes?

b

Tam

Tam bene quis sordes, quas barbara turba Sophorum
 Miscuerat scriptis, emaculare potest?
 Haec tibi debentur soli, Viteberga, tuisque,
 Quas Viteberga habuit, docte PHILIPPE scholis.

Purior ast me Relligio, quae debet et ortum
 Et Tibi successus, Leucoris alma, monet.
 Haec monet, Aonias artes transire silendo,
 Quas hominum uires ingeniumque parant.
 Parcius attingi uult ornamenta uirorum,
 Quos laus doctrinae concelebrare solet.
 Gloria sola Dei deposcere iure uidetur
 Amplius et carmen flebilis melos.
 Non ergo querulas uoces audisse pigebit
 Quas pia Relligio tristior ore dedit.

Adstiterat nuper, subitis tremefacta ruinis
 Leucoridos, pectus dirigitque gelu.
 Lutheri ad tumulum steterat, lacrimisque per ora
 Fusis, plangebat, puluere sparsa caput.
 Vestis fordior corpusque latusque tegebat,
 Vix prae singultu denique fata fuit.

Hem

Hem Viteberga, mei uindex, studiosa tuendi
Verbi diuini mater, ad ima ruis.

Ah! ruis, et flammis ultricibus atria templi,
Antiqui templi magnificique cadunt.

Templi, ex quo primum, longa caligine pulsa,
Terris affulsit luxque decusque meum.

Haec mihi prima fuit sedes, tutissima sedes,
Quae mihi praesidium perfugiumque dedit.

Turpiter exul eram, foedis erroribus acta,
Obductis tenebris, lux mea nulla fuit.

Coeca superstitio funus mihi triste parabat,
Sacrataeque polluerat, pollueratque scholas.

Denique LVTHERI (mihi quam uenerabile nomen!)
Ad cuius cineres sto tumulumque tremens,

Huius LVTHERI studio, uirtute, pioque
Zelo, lux rediit uitaque prisca mihi.

Robore LVTHERI diuino laeta tropaea
Victrix, deuictis hostibus, inde tuli.

O quantos fructus haec tunc uictoria toti
Attulit Europae! commoda quanta piis!

Et quantum debet totus, qua purior, orbis
Tum, LVTHERE, tibi, tumque, PHILIPPE, tibi.

Personuit quoties haec templi machina Vestris
Mellifluis uerbis eloquioque pio!

b 2

Quanta

Quanta ui mentes fulmen penetrabile uerbi
 Diuini tetigit, perculit atque feros?
 Et quantis spatiis mea lux, diffusa per orbem,
 Hoc templo erupit promicuitque diu?
 Haec, haec, quae uiguit tot saecula, gloria lausque ?
 Tam cito nunc periit, disperitque decus.
 Flamma furit, uolat ignis edax, et corripit eheu!
 Corripit, et turre destruit atque domos.
 Mens tremat et refugit diri meminisse diei,
 Quo cito destrueris, quo, Viteberga, ruis.
 Iam satis hoc fuerat graue, castris undique cingi,
 Continuousque dies obsidione premi.
 Iam satis afflictos peregrinus miles, ut hospes,
 Reddiderat ciues, Leucoris alma, tuos
 At grauiora tibi fati nunc destinat ira,
 Quae modo florueras, igne repente cadis.
 Moenia Mars cingit, tormentis angit et urbem,
 Pulsurus Brennos ignibus inde foras.
 Ipse Albis, tonitru tormentorumque fragore
 Territus horrifono, stat trepidatque metu.
 Spumofum et canum gelidis caput extulit undis,
 Et stupet interitum, Leucoris alma, tuum.
 Iam flamma horribilis surgit, lateque furentes
 Igniuomi terrent compita quaeque globi.

Non

Non alias aliae lentis contactibus aedes
 Incendant, tota urbs ardet, ut una domus.
 Qualiter ignifero Sodomorum affligitur imbre
 Gens, urbs, et regio, funditus atque perit.
 Angit et exanimat sic machina bellica ciues
 Leucoris, igniuomos eiacula globos.
 Non aqua, non miles, non territus incola flammam
 Sustinet et cohibet, nec cohibere potest.
 Quisque, quod arripuit, uel uestimenta, uel arcam,
 Vel quasuis alias fornice condit opes.
 Frustra. Concussus tormentis dissilit igne
 Fornix. Quicquid opum conditur, igne perit.
 Vertitur in cineres subito pretiosa supellex,
 Qui modo diues erat, pauper inopsque gemit.
 Non satis hoc. Multi flammam uitaeque pericla
 Dum pauidi fugiunt, in sua fata ruunt.
 In cellas recipit sese cum coniuge coniux,
 Et cum fratre soror, cum puerisque senex.
 Quemque putant tutum, portus turbatur ab igne,
 Et quocumque oculos uerteris, ignis adest.
 Coniugis hem coniux tremulis amplexibus haeret,
 Poscit flens flentis filia matris opem.
 Confususque metu nunc huc, nunc cursitat illuc
 Mixtus equis ciuis, militibusque puer.


Pro templo cineres, faxis auulsaque faxes,
 Pro decore apparet uasta ruina mihi.
 Vox ubi personuit LVTHERI, noctua rauco
 Guttare nunc terret frigida corda metu.
 Lux ubi doctrinae fulsit, caligine tristi
 Circumfusa iacent omnia, noxque redit.
 Vox ubi doctorum, cathedris delapsa, iuuentam
 Artes edocuit, nunc ibi cuncta silent.
 Ciues, qui quondam felices, hospite Musa,
 Tranquillique aedes incoluere suas,
 Hos denudatos fortunis, aedibus igne
 Versis, pauperies quaerere cogit opem.
 Fundite, Pierides, lacrimas, et fletibus adde
 Fletum, Lutheri dogmata quisquis amas.

Dixit Relligio, gemebundaque dicere plura
 Cum uellet, labi est uisa Pronoea polo.
 Quid tristaris, ait, Viteberga, quid anxia curas
 Versas sub moesto pectore, quidque gemis?
 Insolito casu, fateor, magnisque ruinis
 Antiquam requiem perdis et omne decus.
 Corruis. At surges multo laetissima. Musae,
 Promptius ut doceant, conticuere tuae.
^{credo} Puluere templa iacent / uelut obruta. Splendor
 Olim fulgebit laetior atque iubar.

Si

Si connulsa scholae sunt fundamenta realis,
 Ex cinere, ut Phoenix, surgere nonne potest?
 Si periere tuo tot opes, tot commoda ciui,
 Quam cito pax reddet, quae periisse putas!
 Et si LVTHERI cathedram, cathedramque PHILIPPI
 Fumantem uideas, sunt sacra salua tamen.
 Incorrupta manent LVTHERI dogmata, salua
 Durando stabunt, donec hic orbis erit.
 Molliter ossa cubent LVTHERI, nec ferus hostis
 Conturbet tanti busta quieta Viri.

O Deus, o supreme parens, his annue uotis,
 Otia restituas, restituasque decus.
 Quicquid terrifici Martis furialibus armis
 Aut periit flammis igneque, redde Deus.
 Quicquid turbati ciues miserique coloni
 Funesto hoc perdunt tempore, redde Deus.
 Redde Deus pacem, pacem, Deus optime, redde,
 Saxoniae redeat Rex, Pater, atque salus,




1. Einmal in der Woche
 2. Einmal in der Woche
 3. Einmal in der Woche
 4. Einmal in der Woche
 5. Einmal in der Woche
 6. Einmal in der Woche
 7. Einmal in der Woche
 8. Einmal in der Woche
 9. Einmal in der Woche
 10. Einmal in der Woche
 11. Einmal in der Woche
 12. Einmal in der Woche
 13. Einmal in der Woche
 14. Einmal in der Woche
 15. Einmal in der Woche
 16. Einmal in der Woche
 17. Einmal in der Woche
 18. Einmal in der Woche
 19. Einmal in der Woche
 20. Einmal in der Woche
 21. Einmal in der Woche
 22. Einmal in der Woche
 23. Einmal in der Woche
 24. Einmal in der Woche
 25. Einmal in der Woche
 26. Einmal in der Woche
 27. Einmal in der Woche
 28. Einmal in der Woche
 29. Einmal in der Woche
 30. Einmal in der Woche
 31. Einmal in der Woche
 32. Einmal in der Woche
 33. Einmal in der Woche
 34. Einmal in der Woche
 35. Einmal in der Woche
 36. Einmal in der Woche
 37. Einmal in der Woche
 38. Einmal in der Woche
 39. Einmal in der Woche
 40. Einmal in der Woche
 41. Einmal in der Woche
 42. Einmal in der Woche
 43. Einmal in der Woche
 44. Einmal in der Woche
 45. Einmal in der Woche
 46. Einmal in der Woche
 47. Einmal in der Woche
 48. Einmal in der Woche
 49. Einmal in der Woche
 50. Einmal in der Woche
 51. Einmal in der Woche
 52. Einmal in der Woche
 53. Einmal in der Woche
 54. Einmal in der Woche
 55. Einmal in der Woche
 56. Einmal in der Woche
 57. Einmal in der Woche
 58. Einmal in der Woche
 59. Einmal in der Woche
 60. Einmal in der Woche
 61. Einmal in der Woche
 62. Einmal in der Woche
 63. Einmal in der Woche
 64. Einmal in der Woche
 65. Einmal in der Woche
 66. Einmal in der Woche
 67. Einmal in der Woche
 68. Einmal in der Woche
 69. Einmal in der Woche
 70. Einmal in der Woche
 71. Einmal in der Woche
 72. Einmal in der Woche
 73. Einmal in der Woche
 74. Einmal in der Woche
 75. Einmal in der Woche
 76. Einmal in der Woche
 77. Einmal in der Woche
 78. Einmal in der Woche
 79. Einmal in der Woche
 80. Einmal in der Woche
 81. Einmal in der Woche
 82. Einmal in der Woche
 83. Einmal in der Woche
 84. Einmal in der Woche
 85. Einmal in der Woche
 86. Einmal in der Woche
 87. Einmal in der Woche
 88. Einmal in der Woche
 89. Einmal in der Woche
 90. Einmal in der Woche
 91. Einmal in der Woche
 92. Einmal in der Woche
 93. Einmal in der Woche
 94. Einmal in der Woche
 95. Einmal in der Woche
 96. Einmal in der Woche
 97. Einmal in der Woche
 98. Einmal in der Woche
 99. Einmal in der Woche
 100. Einmal in der Woche

6

IV





Vd 7777 8


ULB Halle 3
001 612 182


sb. II

7 ausgebrochen (steht extra)

Vd 77
D mit





n. 72, 22.

FVNESTAM EVERSIONEM
V I T E M B E R G A E

11.18.

DEFLET

ET

SENATVM AMPLISSIMVM
PATRONOSQVE GYMNASII BENEVOLOS
AD ORATIONEM
ZACHERIANAE MEMORIAE

SACRAM

D. XXIV APRIL. HOR. IX. MATVT.

PERBENIGNE AVDIENDAM

HVMANISSIME OBSERVANTISSIMEQVE

INVITAT

M. FRIDERICVS CHRISTIANVS BAVMEISTERVS

AVGVSTI GYMNASII GORL. RECTOR.

GORLICI, c[irca] 10 CC LXI, D. XXIII APRIL.

EX OFFICINA FICKELSCHERERIANA.

